Tracts 1905.

(1)



DISSERTATIO MEDICA

DE

APOPLEXIA.

Tracts 1905 (1)

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE APOPLEXIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PHILIPPUS SYNG PHYSICK,

PHILADELPHIENSIS,

Soc. Chir. Lond.

Necnon

Lyc. Med. Lond. Sod.

"Ea, quae disputavi, disserere malui, quam judicare."

Cic. de Nat. D. III. 40.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCII.

JOANNI HUNTER, S. R. S.

&c. &c. &c.

Viro

Optimis moribus;

Chirurgo

Singulari peritia;

Non ut laudet,

Satis enim certo ſcit,

Nunquam ſatis magnifice quidquam dicet,

Id fama quin ſuperet ejus;

Sed ut gratias,

Ob beneficia valde quam multa

Sibi,

Diſcipulo ſcilicet duos per annos,

Judicio, conſiderate conſtanterque

Delata,

Publice,

Quantum in ſemet eſt,

Agat atque habeat;

Hoc opuſculum,

Quippe quod ei,

Quatenus nimirum quid habeat boni,

Praecipue tribuendum veniat,

Lubens offert

P. S. PHYSICK.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA.

Auct. P. S. PHYSICK.

PROOEMIUM.

CUIVIS vere rem aeſtimanti protinus pro percepto liquebit, ſtudioſum medicinae, inter ſcholaſticum ſcilicet curriculum, paucula admodum ſua propria experientia deprehendere poſſe. Omne profecto id tempus praelectionibus et libris neceſſario dandum eſt, quibus certe in poſterum et ratio ſubtilius excolatur, et uſus,

 efficaciſſimus

efficaciſſimus rerum omnium magiſter, peculiariter utique medicinae, magis ac magis valeat.

Quod cum ita eſt, ego, qui neque diſciplina ſatis, et ingenio parum poſſum, Academiae omnino inſtitutis morigerari cupiens, haecce, qualiacunque ſunt, ea, qua decet, verecundia, proponere auſim.

DEFINITIO.

'Morbus, quo omnes externi atque interni
'ſenſus, nec non omnes voluntarii motus qua-
'dam tenus imminuuntur, reſpiratione interea
'atque actione cordis ſuperſtite.'

HISTORIA.

Sexus utriuſque communis eſt; occupat de ſubito atque inopinate; tollit interdum horae momento, plerumque vero non item.

Quorundam

Quorundam ſenſus adeo obtunduntur, ut tacti appellatique ignorant; alii, quamvis mentis compotes, nequeunt tamen ſenſus ſuos explicare.

Motus voluntarius aliquando nullus omnino eſt; ſaepe autem nervi alterius lateris diſtenduntur, dum iidem alterius reſolvuntur.

Spiritus nonnunquam naturaliter movetur; plerumque vero ab alto difficulter attrahitur, idque longis, ut in ſomno, intervallis; quinetiam oris muſculi haud infrequenter adeo inordinate agunt, ut idem prope ex toto includatur.

Pulſus arteriarum eſt fere plenus, ordinatus, tardus, aliquando durus.

Facies plerumque rubet, interdum vero pallet. Oculi pene clauduntur. Saliva haud devorata ex ore, ſpumae inſtar, movetur. Os ſaepe huc illucve diſtorquetur. Aeger aliquando vo-

mere

mere tentat. Sudor in facie apparet. Extrema corporis nonnunquam frigeſcunt. Stercus atque urina ſine voluntate excernuntur.

Denique, ſub mortem, arteriarum pulſus aliquando fit creberrimus; poſtremo autem et hic tardior et ſpiritus rarior uſque eo evadunt, donec de homine actum fuerit.

Caeterum aliquando accidit, ut complures ſub idem tempus afficiantur, quod fortaſſe tempeſtatum vitio tribuendum veniat *.

QUI

* Hinc Morgagnius, caſum Ant. Titae referens, dixit, 'Inter primos obiit ex iis, qui Patavii ſub Maii initium 'an. 1729 pene quotidie, magno omnium terrore, ex im'proviſo, aut ſtatim, aut certe intra horas non multas, com'moriebantur, cum poſt diuturnas ſubfrigidas humidaſque 'tempeſtates; pluvioſus enim autumnus, pluvioſa hyems, 'pluvioſum hactenus ver fuerat; tunc primum, idque re'pente, aëris calor rediiſſet.' Morg. lib. 1. epiſt. 3. art. 11.

QUI MAGIS PERICLITENTUR.

Juniores raro admodum, fed aliquando tamen, invadit. Plerumque autem adoritur aetate provectos, eofque praecipue, qui quadraginta et quinque annos excefferint.

In homines obefos ac robuftos; fanguine ex cibis lautioribus et nimia quiete abundantes; immodicis liquorum fortiorum potionibus affuetos; quibus denique magna funt capita breviaque colla, multo frequentius ingruit.

Profluvia folita, quae fubito repreffa fuerint, veluti haemorrhoidas * epiftaxin †, necnon et detractionem fanguinis intermiffam ‡, aliquando, atque etiam peftifere excipit.

Denique,

* Hoffm. Op. vol. 1. p. 344. § 18.

† Lancif. Op. lib. 1. cap. vii. pag. 7.

‡ Tiffot. Epift. ad Haller. p. 68.

Denique, ex capite tam leviter percuſſo, id quod egomet (chirurgus quippe eo tempore domeſticus) in S. Georgii valetudinario conſpexi, ut cerebrum a primo illaeſum omnino habeatur, nonnunquam ſubſequitur. Foemina enim, capite eatenus icto, ut vulnerata tantummodo integumenta cranii viſa ſint, ſeptem poſt diebus apoplexia, ſanguinis quippe aliquanto ſuis e vaſis extuſo, concidit.

QUAE PRAECEDANT.

Ex improviſo ſaepe occupat *. Equidem novi mulierem generoſam, quae, apud amicum hilariter cum praeſentibus colloquens, inter theae ſorbitionem fuit attonita.

Inſtantis autem ſigna ſaepe complura ſunt, quae rite animadverſa periculum oſtendant.

In

* Wepfer. Hiſt. Apoplect. p. 427.

In hujufmodi cafu fere funt vertigo, quam naufea frequenter ac vomitus illico fubfequuntur; crebriores capitis dolores; ex naribus profluvium fanguinis; aures intra fe ipfae fonant, interdumque ne externum quidem fonum accipiunt. Oculi nonnunquam caligant, faepe illacrimant fine manifefta caufa, praeter eofdem quoque nictantia fulgura flammae tranfcurrunt, idque magis ex tuffi fubitave inclinatione corporis; palpebrae gravefcere videntur. Aliquae quafi punctiones faepe fentiuntur in extremis partibus, fimulque in variis locis nervi quodammodo refolvuntur.

Denique, faepenumero fub acceffionem, homo fummum capitis dolorem habet, balbutit, vel ad breve tempus obmutefcit; animoque et corpore torpet; memoria amputatur; fomnus in promptu eft, ifque per fomnia atque incubonem tumultuofus.

QUAE EXCITENT.

Cum aliqua vel multa ex ſupra comprehenſis ad longius breviuſve tempus adfuerint, ſequentia, nimia ſcilicet exercitatio; reſpiratio longior, utique ſi vehementi fiat niſu, velut ad ſellam ex alvo adſtrictiore; cibus plenior, magis ſi ſtimulans paulo ante ſomnum aſſumatur; externus calor; liquores nimio fortiores; arctior juguli vinctura; inclinatio capitis; magnae animi perturbationes; inquieta cogitatio; ſubita denique aëris a frigido in calidum mutatio, ad excitandum in primis valere videntur.

QUAE SAEPIUS IN CORPORIBUS MORTUORUM INCISIS SUNT DEPREHENSA.

Ex corporibus autem mortuorum inciſis morbum ſuam ſedem in cerebro habere manifeſtum

eſt.

eſt. Aliquando nihil aliud quam vaſorum diſtentio fit; ſed ſaepius ſerum inſuper, aut in ventriculos aut ſubter membranas, effunditur. Idem quoque, cum laterales ſcilicet ventriculos occupat, videtur plerumque ſub Arachnoide, idque quaſi congelatum; attamen, e contrario, fluidum omnino, membrana nempe exciſa, deprehenditur *.

Sanguis ſemper fere extruditur vel in ventriculos, vel ſubter membranas, vel in utraque ſimul, idque vel ſuper vel ſub cerebrum aut cerebellum. Quod vero ſanguinis, alias plus minuſve, extundatur, id aliquando concretum, aliquando paene fluidum, occurrit.

Vaſa quidem fracta, ſi quando majora ſunt, oculis interdum cernuntur. Hinc Morgagnius latus arteriae carotidis internae diruptum vidit.

 Hydatides

* Ex monumentis medicorum vaſa diſtenta ſerumque effuſum retuli; quatenus autem haec pro cauſis haberi debeant, poſtea dicendum erit.

Hydatides exiguae ſaepe in ventriculis lateralibus, plexu choroideo, nec non etiam circa crura medullae oblongatae, reperiuntur. Caeterum, hae neutiquam ſunt propriae, quippe quas in aliis quoque cadaveribus cernere licet.

Quod ſi homo, qui primam acceſſionem evaſerit, altera tertiave interimitur, tum alia atque nunc memorata ante oculos obverſantur. Namque, praeter ſanguinem extuſum, cauſam ſcilicet mortis proximam, cavum quoque interdum prope eundem, interdum in eadem alterius hemiſphaerii parte, ſaepe in diverſo cerebri loco, invenitur; quod quidem nullius cujuſdam formae, ex interiore parte alibi laeve, alibi laciniоſum atque inaequale, humore ſeri inſtar colorato, plus minuſve cruento, nonnunquam etiam aquae ſimili, repletur. Quandocunque vero cavum iſtud uſque ad ventriculum lateralem pertinet, primo quidem aſpectu proceſſus ab hoc exactus eſſe videatur; at re tamen vera ſpatium eſt ipſum,

quod

quod antea ſanguine per acceſſionem praecedentem extruſo occupatum fuit, et deinceps aqua, eo nimirum abſorpto, occupatur; ſiquidem fortaſſe neceſſe eſt iſtud quodammodo occupari. Caeterum hic unum et alterum caſum, credibilis expoſitionis ergo, ſubjicere convenit.

Generoſus quidam paralyſi ter affectus eſt; hic, annos ſexaginta natus, a prima acceſſione convaluit; alteram deinde, quae octo poſt annos facta eſt, evaſit, excepto, quod motus alterius lateris defecerit; a tertia denique, utpote vehementiore, omni ſenſu privatus, biduo conſumptus fuit.

Cranio autem duraque matre remotis, haud paululum eminentis in ſuperiore dextro hemiſphaerio offenditur, pia mater ibidem ſubflava, eaque diviſa, cavum inter cerebri involutiones, fere magnitudinem ovi parvuli implens, aſpicitur, ſeroſum continens humorem, ejuſque pars

interior

interior erat laevis, exterior autem adhaerebat ad cerebrum ipſum, quod quidem circa illud erat conſolidatum. In cranii baſi ima nonnihil erat ſanguinis ſemicongelati, nuper certe extruſi, id quod pro cauſa proximae acceſſionis, necnon etiam mortis, habendum eſt. Quod ad dextri hemiſphaerii ſpeciem attinet, nihil vetat, quin ea acceſſioni praecedenti, ſanguine nempe abſorpto, tribuenda veniat.

Vir, anno aetatis nono et ſexageſimo, vertigine ac reſolutione nervorum dextri brachii, correptus eſt; aderant quoque ſtupor, taliſque oculorum affectus, qui eoſdem obliquavit. Stupor quidem et paralyſis paulatim abierunt, aſt oculi haud receperunt ſanitatem. In eodem menſe anni ſequentis, iterum adeo vehementer conflictatus eſt, ut ſenſus per complures hebdomadas interciderint, et quanquam hi poſtea aliquatenus reducti ſunt, memoria tamen paene ex toto defecit. Denique, poſt decem et octo menſes, fato functus eſt.

Cerebro

Cerebro inciſo, omnia quidem extrinſecus ſuo in poſitu atque ordine videbantur; lateralibus vero ventriculis inſpectis, duo ſacculi reperti ſunt, ſiti in inferioribus poſterioribuſque partibus utriuſque hemiſphaerii ſupra tentorium, antrorſum pertinentes in illos, adeoque ſubſtantia cerebri, tum medullaris, tum corticalis, quae additamenta eorundem definit, omnino omnis aberat. Caeterum iſti ſacculi, una cum ventriculis haud multum adauctis, ſex uncias humoris ſubflavi continebant; iidemque a primo, ut credere par eſt, ceperint ſanguinem e vaſis diruptis effuſum, qui deinceps per abſorbentia ipſe fuerat ſublatus *.

Carotis interna, Morgagnio teſte, nonnunquam aſpera eſt ex interiore parte, ejuſque color mutatur; necnon maculae, nunc minores, nunc majores,

* Et Morgagnius et Wepfer memorant, cava ampla in cerebris apoplexia mortuorum obſervata, quorum ratio fortaſſe ex ſupra propoſitis colligi queatur. Morgag. ep. 3. art. 2. Wepfer. Hiſt. Apop. p. 7.

majores, ob innafcentia fcilicet offa, ibidem exiftunt.

Denique, illud quoque ad haec accedere poteft, quod polypus in dextra auricula aut ventriculo cordis ad apoplexiam excitandam valere putatur; et Tulpius fefe talem in finiftro ventriculo offendiffe memoravit *. Caeterum, anatome, jam fubtilius exculta, fatis, ut mihi videtur, oftendit, rarius talia id genus in iis corporis vivi partibus exiftere, quae morbum huncce excitare queant.

CAUSA PROXIMA.

His enimvero provifis, caufa continens, feu proxima, videtur effe ifta fubita cerebri compreffio, quae illius vim, qualifcunque ea eft, in partes affectas commeare prohibeat.

Subita

* Tulp. Obf. Med. lib. 1. c. 27.

Subita autem compreſſio dicitur, quia cerebrum huic paulatim accedenti ſeſe quadamtenus ita accommodare poteſt, ut actiones ipſius aliquamdiu non multum turbentur.

Hujus quidem rei explicandae gratia, illa in praeſentia referre lubet. Homo, annos circiter triginta natus, in S. Georgii valetudinarium menſe Decembris anni 1790 delatus eſt; quippe cujus caput pertica ab altiore tabulato delapſa ictum fuerat; carebat omni ſenſu; pulſus arteriarum ac reſpiratio ſupererant; calvaria haud fracta, ejus tamen integumenta vulnerata ſunt. Modiolus, ſeu inſtrumentum illud, quod Anglice *Trephine* nominatur, adhibitum eſt, aliquidque ſanguinis, foramine facto, deſub dura matre effluxit; poſtea illico reconflatur ſenſus, nihilo tamen ſecius homo paucis diebus obiit.

Patefacto cerebro, oſſeus tumor, duas uncias longus, unam dimidiamque latus, et fere dimidium

dium unciae craſſus, in dura matre reperitur; necnon et complures minores, iique etiam ſinguli in receſſibus, qui erant in ſuperiore parte alterius hemiſphaerii cerebri, ſubſidentes. Homo igitur, ut videbatur, his ipſis ſubſtantibus, victum more ſolito quaeritare potuit; verum, ſimul ac primum ſanguinis exiguum ſubito ſuper cerebrum effuſum eſt, attonitus fuit.

Erat in ſiniſtro hemiſphaerio cerebri cujuſdam mulieris hydatis, quae capitis dolorem, vehementes ſtomachi affectus faceſſerat, paucifque menſibus ſine ullis apoplexiae indiciis interfecit.

In anteriore parte cerebri nobilis juvenis erat tumor durus, magnitudinem ovi gallinacei explens. Stomachus quidem male ſe habebat; ſuſpicio tamen vitii in capite erat nulla, niſi tertio ante mortem die, quo tandem quidam oculorum affectus clarius de morbi ſede indicavit.

Quae

Quae cum ita ſint, crediderim, apoplexiam, ſeu morbum ſupra deſcriptum, neutiquam ex cerebro paulatim compreſſo oriri poſſe; atque adeo dubitaverim, an aut vaſa ſanguine diſtenta, aut ſerum extruſum, cauſis hujuſce mali annumerari debeant.

Enimvero vaſa cerebri adeo diſtendi, ut ſanguis huc congeratur, negotium eſſe quod neceſſario tardius efficiatur, ſatis ex ipſorum conditione patet. Horum quidem omnia ſingula per materiam, quae ipſa comprimi nequit, quaeque includitur etiam in oſſea capſa, cedere neſcia, diſperguntur.

Quod cum ita ſit, ſpatium prius liberum per abſorbentia praeſtetur neceſſe erit, quam aliquid amplificationis iſtis accedere queat, id quod non niſi gradatim et pedetentim fieri poteſt. Sed hujuſmodi amplificationem fieri notatum fuit, et D. Gregory, ſuis in praelectionibus, tale quid

 memorat.

memorat. Signa autem erant hydrocephali interni, qui hominem non nisi plures post hebdomadas occidit.

Experimenta haud ita pridem per aliquot sodales Medicae Societatis Regiae, quae Edinburgi est, instituta, quibus vasa animalis altero tanto sanguinis supra justum numerum replebantur, unde nihil apoplexiae insecutum est, testari videntur, vasa cerebri, in quae periculum distendendi aeque, ut credere par est, atque in reliqua fuit directum, adeo tamen tuta ab eo esse seu nihil affici, ut hicce morbus inde oriri nequeat.

Morgagnius casum refert, quo vasa cerebri incisi multo sanguine distendebantur, id quod causam apoplexiae fuisse arbitratur. Porro autem addit, hominem hunc sese inter caenam bene omnino habuisse, itaque iniisse lectum, ubi circiter duas post horas ab uxore non mortuus solum, sed etiam frigidus, inventus est. Ex in-

cisione

cisione sanguis apparebat paene fluidus, quod est, haud more solito concretus *. Hinc igitur credere licet, hominem mortuum fuisse non ex cerebro compresso, sed alia ex causa, eoque magis, quod mors aliquando, similibus sine ullo sanguine in capite congesto visis, subita corripuit. Quinimmo Morgagnius ipse casum hujusmodi profert, ubi sanguis itidem fluidus sine ulla in capite congestione deprehensus fuit †.

Quae cum ita sint, crediderim, quodcunque sanguinis plus solito ad caput aggeratur, id aut per venas deferri, aut, si id non fit, vasorum aliqua necessario diruptum iri, unde apoplexia e vestigio occupat.

Deinde, aquae elisio quoque e vasis integris videtur perquam tarde effici, ejusque congestionem per absorptionem arceri. Immo etiam, ubi

* Morgag. de sed. et causis Morb. Epist. III. art 26.

† Morg. Epist. V. art. 17.

ubi minus abſorbetur, quam deponitur, tunc tamen coacervatio fit tarda, ut videre eſt in hydrocephalo interno, qui quidem morbus differt ab apoplexia, ſive adventum ejus ſpectes, ſive incrementum, ſive ſpatium, ſive etiam homines, quos excruciare ſolet.

His igitur de cauſis, haud facile conceſſerim, effuſionem aquae unquam in cerebro ſano poſſe tam repentinam eſſe, quae apoplexiam afferat.

Fatendum tamen eſt, aegros quoſdam, veluti hydropicos, nonnunquam celeriter rapi, idque non ſine apoplexiae indiciis; quod quidem aquae ſubito ex cerebri vaſis, pro ſua nimirum parte ſimul affectis, effuſae imputatur; aſt, etiam in hujuſmodi caſu, comatis ſigna tarde plerumque ac paulatim proveniunt.

Denique, ex iis, quae ſupra comprehenſa ſunt, cogere fortaſſe licebit, ſanguinem ſubito

effusum e vasis cerebri diruptis semper, aut certe semper fere, proximam esse causam apoplexiae verae.

QUOMODO SUPRA COMPREHENSI MAGIS PERICLITENTUR.

Quoniam vero adolescentia rarius hoc malo affligitur, ipsa temporis longinquitas homines isti opportuniores reddere videtur *.

In

* Rationem itaque, quemadmodum aetate provecti multo magis periclitentur, D. Cullen sic explicare tentavit. ' The venous vessels of the brain are of a conformation ' and distribution so peculiar, as lead us to believe, that ' nature intended to retard the motion of the blood and ' accummulate it in these vessels; and, therefore, even ' very small additional resistances to the motion of the ' blood from these towards the right ventricle of the ' heart, may still more readily accumulate the blood in ' them.

In fenectute etiam faepe fit, id quod Morgagnius frequenter in attonitorum cadaveribus offendit, ut vafa capitis pariter, atque aliorum locorum, morbida exiftant. Arteria nempe ex interiore parte fuam propriam laevitatem amittit, afpera quodammodo fit atque inaequalis, nunc hic nunc illic, idque faepe cum maculis, quae innafcentia offa fignificent. Quo quidem facto vas multum debilitari videtur, frequenterque impatiens foliti impetus fanguinis adeo dilatatur, ut tumor, aneuryfma quod audit, excitetur. Quod, fi aliquid tale vafis cerebri acciderit, iftud profecto eadem diruptioni five dilatationi magis obnoxia praeftabit.

Jam vero quod ad modum attinet, quo obefitas

' them. Such accumulation will moft readily happen in ' advanced life, when the venous fyftem in general is in ' a plethoric ftate, and when this plethora takes place ' efpecially in the venous veffels of the brain.' *Firft Lines*, &c. MCVII.

tas huncce morbum arceſſat, G. V. Swieten et D. Cullen paene iiſdem inſiſtunt; quippe quia uterque compreſſionem vaſorum ſanguinem vehentium adipe in variis partibus congeſto effectam attulerunt *.

Veriſimillimum ſane eſt, obeſos ſaepe abundare ſanguine; at dubitari tamen poteſt, an adeps ullam talem compreſſionem faciat, ſiquidem is plerumque, bene integro corpore, reponitur; quinetiam ejus recipiendi cauſa loculi deinceps ſic formantur creſcuntve, ut ipſa quoque cutis.

Hanc

* 'The accumulation of blood, inquit D. Cullen, in the 'venous veſſels of the brain, will alſo be moſt likely to oc'cur in perſons of a corpulent habit, either becauſe theſe 'may be conſidered to be in a plethoric ſtate, or becauſe 'obeſity, by occaſioning a compreſſion of the blood veſſels 'in other parts of the body, more readily fills thoſe of the 'brain, which are entirely free from any ſuch compreſ'ſion.' Firſt Lines, &c. MCVII.

Hanc autem rem ita se habere colligitur, quoniam vascula membranis eundem continentibus insunt, et cutis obesi ex totidem vasis sanguinem vehentibus, quot macri, constare videtur; quod quidem fieri non potuit, si adeps, adactus scilicet atque intrusus, cellulas distendat, sed contra eadem fere species cutis exstaret, quae in anasarca extat.

Corpora deinde pinguiora exercitationem minus facile tolerant, quippe quia illis spiritus hinc aliquatenus impeditur; quod nimirum ex adipe in abdomine congesto, eoque diaphragmati libere descendenti obstante, fieri videtur.

Deinde, quod ad collum breve caputque magnum pertinet, D. Cullen opinatur, illud reditui sanguinis a capite parum favere; hoc eidem in eo congerendo aptius esse.

Ebriositas porro stomachum totumque fere

corpus

corpus infirmare videtur; nec non ſanguinis impetum adauget. Hinc vero quantitas hujus multo major ſolito ad caput adigitur, cujus vaſa, ut et reliqua, ita nempe crebro ſubitoque diſtenta, ſerius aut citius debilitentur neceſſe eſt. Morgagnius ſaepe memorat vaſa in iis vitiata, qui ebrietati indulſerint. Enimvero faciei vaſcula, in primis autem naſi, ſaepe hac de cauſa male ſe habent.

Denique, deſidia cibuſque plenior, profluvia ſolita, quae ſuppreſſa fuerint, vaſa ſanguinem vehentia diſtendunt; ideoque illa magis magiſque imparia ulli incremento diſtentionis ſuſtinendo facere videntur.

QUOMODO EXCITANTIA VALEANT.

Haec quidem talia ſunt, quae vel copiam ſimulque impetum ſanguinis caput verſus au-

geant, vel eundem, libero ſcilicet reditu imminuto, ibidem accumulent.

Prioris generis ſunt externus calor, utique ſi ex ſubita coeli mutatione fiat, cibus potuſve ex ſtimulantibus aſſumpta, immodica denique exercitatio, &c. quorum ſingula impetum ſanguinis, ut videtur, adeo augere poſſunt, ut vaſa capitis eundem facile ſuſtinere nequeant, itaque demum plus minuſve deficiant. Caeterum, hoc eo citius accidit, quo illa ipſa ante pleniora ſanguine fuiſſent.

Alterius autem generis eſt arctior juguli vinctura, quae, venis nimirum compreſſis, ſolitam ſanguinis quantitatem ad cor deferri prohibeat; cum arteriae, quippe nihil omnino compreſſae, eundem uſque, ut antea, ad caput evehunt. Hic, ubi vaſa capitis ita diſtenduntur, vertigo nonnunquam oritur ex cerebro preſſo; quo quidem

diutius

diutius facto, vaſorum aliquid dirumpi poterit, unde ſanguis in hoc effundi queatur.

Quolibet vehementiore niſu, ſeu magna intentione muſculorum diaphragmatis atque abdominis, ſemper plus ſanguinis ad caput adigitur; quod quidem non modo ſentimus, ſed etiam in venis capitis collique inde turgidis, necnon facie rubente oculis cernimus. Veruntamen, hoc ipſum non, ut aliqui autumant, ex ſuppreſſo ſpiritu fieri videtur, quia hinc, id quod quiſque in ſe experiatur, nil tale evenit; ſed ſi muſculi memorati ſimul contrahantur, hinc ea, quae ſupra comprehenſa ſunt, illico apparent. Quod quidem fit ex muſculis memoratis viſcera abdominis validius ad ſpinam apprimentibus, ideoque venam cavam atque aortam comprimentibus. Hinc ex illa vis ſolita ſanguinis in cor ejicitur, ex hac eadem tranſire ad partes inferiores prohibetur; itaque, compreſſione nimirum durante,

auctior

auctior ſanguinis copia in capite partibuſque ſuperioribus circumagatur neceſſe eſt *.

Caeterum, complures alii muſculi praeter memoratos ſaepe quolibet vehementiore niſu in actionem coguntur. Omnis autem contractio muſculorum ſanguinis circuitum per arterias non paullum impedit, eundemque itidem per venas accelerat; unde neceſſario fit, ut hic coacervetur, in vaſis haud ita preſſis, velut cerebri, pulmonum,

* Hinc fortaſſe haud tardum dictu eſt, quare cerebrum viciſſim extumeſcit deſiditque. Semper quidem prius fit, quando ſpiritus emittitur, quod eſt, ubi abdominis muſculi adigunt viſcera ejus ad ſpinam, adeoque vaſa ibidem majora comprimunt, de quo ſupra dictum eſt. Caeterum hoc viſum ſaepius mihi objectum fuit, quod cerebrum, jam modiolo patefactum, ocius tardiuſve intumeſcit, pro modo quo ſpiritus emittitur Sic in tuſſi, ubi abdominis muſculi ſubito fortiuſque agunt, cerebrum aeque ſubito attollitur. Inter exclamandum quoque, ubi iidem agunt lentius diutiuſque, motus illius rata pro parte exiſtit.

monum, quaeque majora circa cor verſantur; et ſi qua cerebri admodum imbecilla ſint, iiſdem diruptio facilius accidere poteſt, unde apoplexia illico excipere ſolet.

Fortaſſe ex cibo nimio quoque compreſſio ejuſmodi fieri poteſt, nec non ex chylo indidem enato, vaſis nimirum, antea ſatis multum repletis, injecto, talis diſtentio accidere, ut ſanguis in cerebrum effundatur, et ſic apoplexia fiat.

Sanguis, inclinato corpore, per arterias facilius ad caput fertur, idemque, ob ſuam nempe gravitatem, inde per venas tardius redit; hinc, ſi inclinatio ſit diuturnior, aliqua ex cerebri vaſculis dirumpi poſſunt.

Denique, magnae animi perturbationes, velut ira, moeſtitia, &c. plus ſanguinis ad caput adigunt, ibique accumulant, unde vaſis ejuſdem periculum faceſſitur. Illa ſemper fere faciem multo

multo rubore suffundit; haec, utique si subita est, id quod egomet vidi, sanguinis non paulum per nares pellere potest.

Postremo, inquieta cogitatio vires fortasse vasorum cerebri imminuit, ex quo tardior sanguinis circuitus congestioque fiant. Hinc procul dubio vertigines frequenter urgent, et Morgagnius meminit viri, cui, si quando mane in lecto animum in paulo abstrusiora intendisset, levis epistaxis postquam surrexerit nunquam non accidit *.

DIAGNOSIS.

Attonitus quidem atque ille, qui gravissimo sopore vel ebrietate opprimitur, inter se, aliqua ex

* "Senserunt omnes, qui severis studiis animum adhibuerunt, gravari caput, et molestam tensionem in encephalo sentiri, dum nimis diu protrahuntur illi labores." G. V. Swieten, Comment. &c. vol. 3. p. 267.

ex parte, sunt similes; saepe facile tamen ex iis quae praecesserint, alius ab alio discernitur.

Deinde, ipsa definitio apoplexiam et ab epilepsia et a syncope satis bene distinguit. In illa etenim multo major est convulsio plerorumque musculorum voluntarii motus; in hac "actio "cordis ac respiratio fiunt longe debiliora solito, vel aliquamdiu omnino quiescunt."

Auctores denique ex natura materiae extusae apoplexiam in sanguineam et serosam divisere. Verumtamen tale discrimen vix ullo modo, adhuc spirante homine, cognosci posse crediderim, atque serum, in mortuis aliquando deprehensum, effectum potius esse, quam ipsam morbi causam, supra ostendere conatus sum.

Postremo, D. Kuhn, medicus ille sagacissimus, praeceptorque mihi nunquam non colendus, in praelectionibus de Materia Medica memorat, se

vidisse

vidiffe homines ex pomis et lacte ingeftis, quae vulgo in Philadelphia comeduntur, quafi apoplexia oppreffos, eofdemque fola vomitione reftituiffe.

Cafus autem hujufmodi, inquit ille, pulfu arteriarum exiguo crebroque, ab apoplexia, longe aliter curanda, facile dignofcitur.

PROGNOSIS.

Apoplexia faepiffime profecto ferius aut citius interimit; aliquando tamen non item. Interdum veftigio temporis diffolvit; frequenter aliquot poft dies interficit, idque vi fua, quae ante haud parum imminuta vifa fit, fubito adaucta.

Saepe in Hemiplegiam definit.

Si forte quadam expulfa, tamen femper fere

recurrit;

recurrit; non quidem compluries, quippe quae ſecunda tertiave acceſſione plerumque jugulare ſolet. Hoc vero ipſum, quod ſcilicet repetere ſolet, idque non ſemper eadem in parte, magno argumento eſſe videatur, eam non tam ex certis quibuſdam cerebri vaſis fortuito ſubitoque compreſſis, quam ex eorundem compluribus, jam antea debilitatis, progigni.

Eadem quoque in ſene periculoſior eſt, quam in juvene, quoniam hic, utique ſi aliquid ſpatii daretur, magis medicinae patet valetque refectioni.

Homines porro, quibus ex aetate, vitae propoſito, vaſa cerebri ſanguinem vehentia, vitiata eſſe videantur, ſemper fere extinguit. Alia etiam, quae ad corporis habitum prioreſque moleſtias pertinent, plus minuſve periculi oſtendunt.

Denique, ſi ſpiritus trahitur lentiſſime ac difficulter; ſi arteriarum pulſus ex tardo fit creber, amboque quaſdam intermiſſiones patiuntur; ſi ſtercus atque urina redduntur ſine voluntate, extremae partes frigeſcunt, ſudoreſque frigidi erumpunt, in propinquo mors eſt.

Contra, tepidi ſudores, per omnia membra diffuſi; urina copioſius reddita; ſolita profluvia, nuper ſuppreſſa, iterum redeuntia, ſecuritatem polliceri exiſtimantur. At vero hoc malum, nulla exinanitione facta, ſaepe evincitur.

PROPHYLAXIS.

Enimvero apoplexiam arcere, quippe quae rarius diſcuti poteſt, permagni momenti eſſe videtur. Omnium igitur, quibus inſunt aliqua ex indiciis, quae periculum denuncient, proclivitatem, quae ex corpore ſcilicet pleniore, vaſiſque

praeſertim

praesertim cerebri, oriatur, quoad ejus fieri potest, evitare plurimum interest.

Quod ad prius consilium attinet, nihil melius tenui victu atque exercitatione respondet.

Jam vero aut quantitas cibi minor esse debet, aut talia, quae sua pro mole, id quod forsitan magis placeat, minus alimenti praestant, ingeri oportet.

Junioribus quidem lac atque olera, fortasse jusculа infirmiora, et paululum certe, si quid omnino, carnis elixae, quam maxime conveniunt. Nihil potui praeter aquam tenuesque dilutos humores dari expedit. Liquores denique calefacientes ex toto circumcidantur necesse est.

Exercitatio nunquam non modica esse debet. Ambulatione, dummodo ea sit facilis, neque calorem excitet, utendum est ; equitatio autem levis fortasse plus proficit.

Verum,

Verum, ante omnia, confuetudinem confiderare juvabit; quodcunque enim contra eam eft, nocet, feu molle feu durum eft. Ergo, cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit affuefcere. Atque ideo feniores praecipue, qui carnibus liquoribufque fermentatis fuerint diutius affueti, fenfim pedetentimque mutationem facere, quod eft, copiam, quoad ufque impune licebit, paulatim minuere, vel certe latrantem ftomachum oleribus, quae facilius concoquantur, placare debent.

Alvo quoque adftrictiori femper occurrendum eft; fi quando autem talis evaferit, tum ea modice mollienda eft; quippe quia purgationes, quae valentibus medicamentis fiunt, ftomachum fere laedunt.

Venam porro incidere, apoplexia jam plane inftante, non alienum eft; aft idem ad nimiam fanguinis abundantiam arcendam nihil aut non multum

multum proderit; ſiquidem quicquid hoc modo demitur, id omne quam cito rurſum reſtituitur.

Omnis certe cautio hujuſmodi et proviſio, etiam cum vaſa cerebri ſanguinem vehentia vitientur, non quidem nihili eſt, utpote quae vitam quadamtenus fortaiſe producere valeat.

Inter medicos denique ſatis convenit, ſanguinis per partem quamvis profluvium, jam inveteratum, velut haemorrhoidas, parum tuto inhiberi poſſe. Quid igitur eſt? Enimvero nimia hujuſmodi, quae vires infringant debilitentque, quam maxime moderari nihil nocebit.

Caeterum, coronidis loco, illa ab Hoffmanno profata apponere lubet. 'Aer ſeligatur temperatus et ſerenus; omne frigus, maxime partium inferiorum, fugiatur; et ab iracundia, terrore, moerore, quantum poſſibile, caveatur.'

RATIO

RATIO MEDENDI.

Si apoplexia ſemper fere ex ſanguine in cerebro hujuſque membranis effuſo oriri videatur, illa certe erit optima curatio, quae amplius extundi prohibeat, necnon iſtud, quod jam fuerit extuſum, citius diſcutiat.

Quapropter, homo, veſtibus exutus, in lecto, eodemque in conclavi, aëra modice frigidum habente, collocandus eſt; caput, atque id quidem, ne caleat, nudum, pulvinis quam alte erigi, corpuſque paucioribus veſtimentis operiri debent.

Sanguinem protinus vel ex juguli venis, vel arteriis temporum, vel id quod crediderim eſſe facilius pariterque utile, brachio mitti expedit, atque etiam eo uſque, ſi fieri poteſt, ut anima

deficiat;

deficiat; unde, circuitu paulifper impedito, id, quod extufum fuerit, citius coeat, itaque extrema diruptorum vaforum occludat.

Aeger ex animae defectione nullo modo omnino excitandus eft; fed expectandum, donec ipfe femet quam tardiffime quietiffimeque receperit. Ab omni deinde nifu, vel minimo, contineatur oportet. Denique, hoc agendum eft, ut fanguis lentius circumagatur, necnon et corpus et animus quam maxime quiefcant.

Jam vero, fanguine, uti fupra dictum eft, emiffo, cucurbitulae temporibus, ' fub ipfo occipitio et ad latera colli admotae, cute fcalpello profundis fatis vulnufculis concifa, nunquam non ex ufu funt *.'

Caeterum, quotiefcunque pulfus arteriarum poftulaverit, femper incidatur vena neceffe eft.

Ventrem

* D. Mead Mon. Med. cap. 2. § 1.

Ventrem porro clyſteribus exinaniri conveniet, ac fortaſſe aqua tepida infuſa, quae adeo ſolicitet, ut dilutum ſtercus reddatur, commodiſſima, quippe quae relinquit nihil exaſperationis, eſſe videatur. At vero, ſi inteſtina adeo infirmantur, ut aqua mera parum proficiat, tunc demum nonnihil ſtimulantis adjici debebit.

Poſt neque ita multo cryſtalla tartari, aliquave ex neutralibus ſalibus purgantibus, danda ſunt, ut alvus, id quod ſemper huic morbo auxiliatur, ſatis bene eat. Enimvero purgationes, ſi nimis valentibus medicamentis fiunt, nunquam non periculoſae ſunt *.

Vomitus quoque, ſtomachi nempe cauſa exonerandi, a nonnullis laudatur. Sed iſtud in hujuſmodi

* ‘ Vidi, poſt purgationem ex foliis ſennae cum ‘ ſale Sedlicenſi et nonnullis amaris, tertia die poſt inſultum propinatam, lethalem intra aliquot horas paroxyſmum.’ D. Tiſſot Epiſt. ad Haller. de Apopl. &c. p. 63.

hujuſmodi caſu neceſſario haud parum moleſtiae faceſſit, ſiquidem diaphragma atque abdominis muſculos plus nimio exercet, unde ſanguinis multum ad caput ſemper congeritur; itaque permagnum periculum eſt, ne id, quod jam fuerit extuſum, quod eſt ipſa noxa, augeatur.

Veruntamen, ſi quando apoplexia ſtatim nimiae ſatietati ſupervenerit, medici non mediocres, id quod ſatis commodum videtur, docent protinus exonerare ſtomachum.

Denique, medicamenta, quae excitent, ingeri, necnon ſtimulantia, cantharides praecipue, imponi ſolita ſunt. Atqui ex iis, quae de hoc morbo ſupra propoſita ſunt, alicui fortaſſe liceat judicare, cuncta id genus, quatenus amplius ſanguinis extuſura ſint, tum inutilia, tum periculoſa, contraque votum eſſe, ut aeger ab omni incitatione omnique actione negotioſa vacuus, conquieſcat; hoc enimvero ipſum non modo in-

ter morbum, ſed etiam aliquandiu poſt, moliendum eſt, quippe quod haud parum et levare, et iterum repetenti occurrere, valeat.

Sit ita ſane: Verumtamen illud Celſi nunquam non medicinae ſtudioſo tenendum eſt, 'Neque diſputationi, neque auctoritati, cujuſquam (experti nempe) fidem derogari oportet.'

Idonei auctores teſtantur, cantharides juxta vel in caput impoſitas prodeſſe; cum eo tamen, ut non niſi poſt miſſionem ſanguinis alvique purgationem adhibeantur. Obſervatum quoque eſt, eaſdem cervici admotas, auxilium praeſentiſſimum adverſus epiſtaxin fuiſſe. Hinc credere in promptu eſt, eaſdem ſanguinis fluxui, qui intus fiat, aliquando fore pari praeſidio.

Nunc

Nunc enimvero animi parum grati merito ſubirem, niſi lubens, hocce opuſculo qualicunque demum peracto, ſingularem E. Home, S. R. S. &c. &c. viri animi candore, morum comitate; chirurgi peritia ac prudentia excellentis, benevolentiam, qua mihi, aliquot per annos, fecit conſilii ſui copiam, publice collaudarem agnoſceremque. Cui quanquam gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur; habenda tamen tanta eſt, quantam maximam animus meus capere poteſt.

F I N I S.